

cum venit Patauium, incidit in huiusmodi malū, & perpetuò deterius habet, seruato etiam bono regimine. Quare querit auxilium. Volentes curare, oportet scire ægritudinem. Sed hanc cognoscimus per causas & signa: quare primò ista videamus. Nocumentum in hoc viro est in vesica, ut ex læsione actionis patet. In documento renūm inuoluntaria emissio vrinæ. In vesica retentio inuoluntaria hoc signo distinguitur ab Auicenna quando sit in renibus vel vesica. Sed iste retinet vrinam inuitus & inuoluntariè, præterea non adest dolor in renibus, & in vesica est dispositio mala. Sed qualis? Credo vlcus esse in ipsa vesica, quia patitur ibi dolorem. Et licet non sit continuus dolor, potest tamen dici, quia non male tractatur, sed dolet quando mingit. Præterea exsuntia ostendunt, aliquando sanguis, aliquando sanies apparet: sed credo vlcus esse paruum & in principio, & qā sanguis modicus, propterea qd' venæ in vesica sunt paucæ & exiles. Sanies quomodo facta? Oportet videre complexionem eius. declinat ad caliditatē in actiuis, patet ex colore, & facies est satis rubicunda. Membrorum magnitudo & spermatica membra satis magna. In passiuis declinat potius ad humiditatem, nō tamen multam, sed magis est calidus. Caput etiam est satis calidum, quia est bonitas intellectus & discursus in hoc iuuene, præterea apparent venæ in oculis manifestæ. Habet bonum colorem & generat bonum sanguinem: & sic habet hepar bonum, quod etiam recipit chylum bonum bene conservatum in stomacho, & habet stomachum bonum calidum. Ista dispositio fortè contracta est tempore eo quo passus est morbillos, quia ibi collecti sunt humores barauchiales & acres, qui attulerunt malum vesicæ, maximè cùm exierunt malæ materiæ, licet creticè & paulatim semper. Et hepar etiam tunc fortè fuit male qualificatū, quare multiplicati sunt mali humores, & fortè accessit malum regimen. Ac ratione calidi hepatis fortè multiplicati humores cholericæ & adusti, & transmissi in vesicam, quæ fuit debilitata prius, & dictum est, per creticam expulsionem factam in morbillis. Isti & falsi barauchiales causant vlcus: ita à principio per communitatem, nunc in vesica per essentiam est morbus. Hæc est dispositio infestans hunc iuuensem, vlcus in vesica scilicet.

Prognost. Quia natura est fortis, est in adolescentia, & tamen vincitur à mala dispositione, videtur esse malum. Præterea difficulter curantur tales dispositiones, teste Auicenna: vlcera in vesica, vt parte neruosa difficulter curantur: & oportet esse medicamina fortia, ne amittant vires intratu. Præterea dedidit se studio legum, quod est admodum laboriosum. Et oportet ipsum stare pedibus, quod valde est nocium vitijs vesicæ & renūm, quia omnes superfluitates descendunt & feruntur ad istum locum. Quare prognosticum est verendum & dubium: neque tamen despero, habet medicos astantes, &c. ex Hali abbatte. Duo præalent vni, sed non vnum duobus.

Curationis sunt tres intentiones: Euacuare totum corpus, Abstergere locum, Consolidare.

Sectio venæ cōpetit, quia vlcus indicat, & fiat

A sectio basilicæ: quia à membro mandatè fit diuersio, & infrigidatur etiā hepar, ne generet tantam copiam cholericæ. Tum etiam ista sectio diuerit, præmisso leni pharmaco cum cassia, aut clystere. Postea facta euacuatione, quia humores sunt cholericæ ratione mordacitatis, & pituitosi ratione tenacitatis, oportet præparare syrups de endiuia, quia confortat hepar & refrigerat, violarum, & de glycyrrhiza, de nenuphare, de portulaca, sed aliquando, & in minori quantitate, Oxymelitis parum etiam ratione incisionis. Euacuationes sint benedictæ. Non auderem transcendere Cassiam, Mannam & Rhabarbarum, & forsitan parum de Benedicta, vel Electuario Indi. Decoctione ex seminibus papauerum, malua, althæa, cū syrupo de liquiritia. Et ex granis Sebesten, Tamrindis cum fero lactis erit lenituum conueniens. Præterea per vomitum potest educi etiam materia, quod valde laudatur ab Auicenna, in septimanā, semel vel bis. Ventosis potest vti etiam ratione doloris. Iстis factis, facienda decoctiones ex seminibus portulacæ, scariole, endiuie, capillorum Veneris, cum mucilagine, althææ, quæ possunt sumi loco syrapi manè. In necessitate summa ex semine papaueris iusquiam cum croco, qui multum valet: præterea cum lacte caprino, eum mucilagine sebesten & althææ. Balneum ex lacte est valde mirabile, & ex rebus anodinis, vt ex malua, anetho, &c.

D Emplastra possumus etiā facere ex rebus talibus & fomentationes. Sedato dolore ad vlericis curationem deueniendū. Mundificans mel rotatū, aqua hordei cum mucilagine & diuretico non forti dando ad intrà cum aqua zucchari, serum lactis per syringā etiam intromitti debet. Poltes consolidetur ex semine portulacæ, plantaginis, amylo, cerussa, tutia, sarcocolla, plumbō vito: fiant sieff quæ applicentur. Lac ouium cum halo Armeno facit consolidationem etiam maximam, si est dolor maximus, sieff cum opio applicetur. E In cibarijs vtatur radice althææ vel radice maluæ. In iuscule semina quatuor maioraponatū. Potest etiam fieri Electuarium, quod à Nicolo describitur, quod mundificat, abstergit & consolidat. Potest fieri tragea ex seminibus acetosæ, papaueris, maluæ, amygdalis amaris, pineis, nucleus cerasorum & persicorum cum zuccharo, de quo sumat per horam vnam ante cibum.

### MONTANVS.

F Ero breuis, quia diffusissime & doctissime singula dicta sunt, quæ circa historiam & curam debent considerari, & hora est tarda, & Doctor ille festinat ad alia sua negotia. Ego etiā sequar modum in hac re, ita vt non necessaria omittamus. Iuuenis iste patitur difficultatem circa actionem minigendi, quia non potest expellere vrinam, vt velit, sed videtur sibi aliquid semper remanere ob impedimentum. Præterea saepissime percipit ardorem in exitu vrinæ, & maximè circa glandem. Ad G hæc circa pectineum dum mouetur, dolorem sentit licet obtusum, maximè dum equitat. Cum vero laborat quoconque genere exercitij, solet ex revrina frequentissime nigra, quandoque grumi quidam